



Q. m. 252.

1) Benthon, Wilh

not 21 - 23/

alles Leihungsradien

von Gebäuden etc

fs 787 ein Portrait

in Kupfer gest.

Wilhelm Bentzen



AGONISMA GLORIOSUM,
QVOD
 PERILLUSTRIS AC GENEROSISSIMUS
 HEROS,
DN. HENRICUS,

COMES DE TURRI, VALSASINA, AC PARNOVIA,
 L. BARO DE CRUCE, DOMINUS IN WELLISCHA,
 WINTERIZO, GOETTINGA, LOSSDORFIO,
 WENNEGARTIA,

S. REG. MTIS: AC REGNORUM SVECIÆ
 SENATOR, EXERCITUS, PER LIVONIAM, EQVE-
 STRIS LOCUMTENENS, ET CHILIARCHA,

AD RIGAM, IN QVA A. M. DC. XXVI. VII. ID. JUL. NATUS FVERAT,

POST TOT LAUDATISSIMA TIROCINIA, FELICISSIMA
 PRÆLIA, PRUDENTISSIMA IMPERIA,
 POST VIRTUTUM NATALIBUS TANTIS DIGNISSIMARUM
 COMPLEMENTA,

HOSTILI MANU, A. M. DC. LVI. XIII. CAL. SEPT. JUBENTIBUS FATIS,
 PEREMPTUS,

GLORIOSISSIMO NISU

ABSOLVIT,

SUB EXSEQUIARUM, VI. ID. SEPT. HONORIFICENTISSIMARUM SOLENNIA,

PIÆ VENERATIONIS ERGO,
 ACCLAMATIONIBUS GRATANTIBUS PROSEQVUNTUR

TURRIANI NOMINIS

DEVOTI CULTORES.



RIGÆ,

LITERIS BESSEMESSERIANIS.

ACCOMPLISHING
BY THE
DR. HENRI C. S.
COMMISSIONER OF THE
VIRGINIA COLLEGE
UNIVERSITY
AD HONORABLE
FOR THE
INSTITUTION
GLORIOUS
ACCOMPLISHING
BY THE
DR. HENRI C. S.
COMMISSIONER OF THE
VIRGINIA COLLEGE
UNIVERSITY
AD HONORABLE
FOR THE
INSTITUTION
GLORIOUS
ACCOMPLISHING
BY THE
DR. HENRI C. S.
COMMISSIONER OF THE
VIRGINIA COLLEGE
UNIVERSITY
AD HONORABLE
FOR THE
INSTITUTION
GLORIOUS





ET TURRES Mors atra petit, ne Martia tantum
Fulgura vim muris opposuisse putes.
Nimirum sociat vires cum morte cruentas
Marspiter: hic Turrim concutit: illa ruit,
Ut cadat. Infelix telum, quò sternitur Heros!
Sed ne mireris, barbara dextra tulit.
Quæ Tibi mens animi, casu tam præcoce, RIGA
Incluta, Livonum gloria prima, fuit?
Nam memini! sed nolo graves iterare querelas,
Et, quod vix abiit, commemorare malum.
Nec Mars concussit, nec Mors ruit invida TURRIM:
Exstat adhuc, pinnis conspicienda suis.
Non moritur, qui sic moritur: de morte triumphat,
Quisquis eam, patriæ gentis amore, subit.
Sternatur corpus: quid tum? laceretur ab hoste:
Conservat florem mens generosa suum.
Scilicet Heroum laudes in morte virescunt:
In vivis ipsi, post sua fata, manent.

*M. Joh. Breverius,
Pastor & Insp.*

Proshonefis ad Rigam &
Livoniam.

Sic columen quondam Thebarum grande, Polymni
Incluta Progenies, sublimia super amœnæ
Mœnia Mantineæ, Spartana pube sarissas
(Nam furor evictus tentare extrema jubebat,) E T T U R
Atq; sparos vibrante, inimicum corpore telum
Excipiens, inter læti confinia læti,
Scutum, quæsito, num salvum, & cedere campis
Jussissent vietam duræ Lacedæmona Thebæ?
Ex quo juxta animi perceperat omnia votum:
Ne, commilitium, ne fletu tristius, inquit;
Non finis nostræ, venere exordia, vitæ.
Nunc Epaminondas foetices prodit in auras.
Non orbis morior, sunt martia prælia proles.
Liberæ vecordem suppressit Græcia Spartam!
Ut, qui, pro Sveonum fama, Patriæq; salute,
Heroo nisu surrexat acer in arma,
Mille olim palmis excellens, mille tropæis,
Postquam, non hostis, sed fati lege coactus,
Corporis exuvias generosi liquit honoras,
CELSUS TURRIADÆ GENIUS, quia pectore sentit
Attonito jussu vasti suspiria luctus
Ductari, atq; udo confundi flumine vultus,
(Et quis non ploret, quis mœsti verbera planctus
Omittat?) patriam placidè conversus ad urbem,

Dum

Dum pia funerea meditatur munera pompæ,
(Ecce sonum, & blandæ vestigia dulcia vocis!)
Ne lacrumeris, ait, mea Riga & Livonis ora.
Non ego, cum cædis spectacula dira paveres,
Occubui, sævi nec frustror acinace Moschi.
Secula per vivo Libitinæ cuncta superstes.
Non sine progenie tenues detrudor ad umbras:
Conservant fortes surgentia stemmata pugnae.
Sat Regi, vobisq; datum est: nec serviet hosti
Vestra, jugum tolerans tam detestabile, cervix.
Hactenus. At tu jam, quos sumas, dispice, motus,
Riga, & quæ serò respiras, Livica Tellus.
Est plenum pietatis opus, si digna merentes
Iusto defunctos ploret querimonia fletu:
Et tibi jam validus confodit pectus amaror.
Sed quid enim facies? Nescit concedere Clotho
Fletibus, & spernit clamoræ jurgia rixæ.
Hinc ut Turriaci gaudent tua gaudia Manes;
Illi tibi gratantur redi vivæ munera Pacis,
In gremio parte, & mananti sanguine, Pacis:
Sic tu singultus inter, longasq; querelas,
Quas tibi tam rapidi imposuit violentia fati,
Exsere læta caput, famæ gratata vicissim
Turriacæ, quæ se, per te, cunctosq; nepotes,
Extendet præter seclorum fulgida metam.
Pone altos tumulos, tonti monumenta favoris,
Atq; hæc marmoreis, (si non meliora renidens
Gratia suppeditat,) cælo conscribere columnis:

CONSISTE PERPETIM BEATIUS MARMOR,
QVOD TURRIANI CONTEGIS SACROS ARTUS
HEROIS; AT QVE ILLUM REFER VIATORI,
QVI PRO SALVTIS PUBLICÆ PIA CAUSA
SUBDENTE AMORE FERVIDUM IMPIGRO CALCAR,
PERICULOSAM MARTIS ALEAM MOTANS,
CRUORE TINXIT DITE PATRIOS CAMPOS:
CUIUS PERENNEM GLORIAM NEC EOI,
TARTESSII NEC LITTORIS, PLAGÆ CLAUDUNT.

Qvam veneratur

Joh. Hörnicke / Schol. Rig. Rector.

NON jam Canænas blandulamq; Pirenen,
NON perperam jam gestientibus rivis
Permessidos lymphæ brabea lassare
Decebit, æstro percitum Genus, Vates;
Cupressus exstet tristis. Hocce nam munus
Mors imperavit; quæ manus gigantæ
Effronte flictu, sceptrâ tentat æquare
Ligonibus; perosa namq; vulgares
Vilesq; palmas, falce demetit *Crimon,*
Qvod lauream supermicat triumphalem.
Cupressus exstet tristis. Hocce nam munus
Mars imperavit, ense dum ferit *summum*
Insigne Gentis, ultimumq; de TURRI.
Eheu! remota mœret indidem Tellus,
Parens Avorum, qui fuere de Gestis
Heroicis mundo perincluti magno.

Eheu! Svecorum mœret amplior Tellus,
Tantus cadit quod publici Boni Custos.
Eheu! Livona mœret instrepens Tellus.
Irracuère Najades tuæ, Riga,
Quum Heroicum atq; sedulum Boni Pectus,
Quod Civitatem poneret suo talo,
Tantæ spei cassæ Tibi esset ablatum.
O Mors quærelis gaudium peremtura,
O Mars, triumphos quicquid; lessibus mutas,
Et purpurantem Præficis locas pompam
Tumentis Ostri! Nonne celsa Vos TURRIS
Non vita movit, quæ cluet DECUS SECLI?
Tamen sciatis: Gemma Splendide Gentis
Isthæc tenebris nigrum quidem vestris;
Gestis sed arduis nitens triumphabit,
Nunquam silenda, quæ rubet Polus cocco
Phœbi auspicantis, quæquid; marmoris falso
Se Vesperugo, conditâ die, mergit;
Donec tremendus machinam hanc dies rumpet,
Nec condet ultra mortuum Genus Tellus.

Georgius Guntecken.


Ad beatos
Illustrissimi Comitis de Turri
Manes.


QVO vos, Illustres, maetabo carmine, Manes?
Ad tumbam perfert quid mea Musa sacram?

Anne

Anne recensebo laudatæ Stemmata Gentis,
Quæ pridem tendit sidera celsa super?
Anne admirandas magnorum emensus Avorum
Res, dignum factis pangere nitar epos?
Anne feram præco vestrarum encomia laudum,
Et, quò se tollit gloria vestra, sequar?
Non hæc sit parvo contenta melismate virtus,
Virtus, quæ cœli splendida templa tenet.
Quæ vos à nigra servat rubigine mortis,
Quæ tulit in cunctas nomina clara plagas.
Virtus, quam Teuto generosa voce probavit;
Virtus, quam magni Sarmata fortis habet.
Virtus, cui sævi cesserunt agmina Moschi:
Virtus, qua victrix est minor ipsa manus.
Hæc nisi sit major, quam quæ concidier uno
Ense queat; virtus Turrica viva fuit.
Et nisi vis fati mortalia cuncta domaret;
Turriades redeat victor ab hoste fero.
Non vos adverse vires, sed copia vulgi,
Sed Parca nocuis impediere plagis.
Hinc utinam celeri flueret facundia fonte!
Perferrem cœlo nomina tanta tenuis.
Quamquam, quam soli, qui quaqvâ fulgidus olim
Splendet, caligo præferet ista facem?
Astra super celebris meritorum fama locatur.
Æternum tellus incluta facta colet.

Humilis obsequii ergò
dicabat





ALVENSLEBEN

Em

252







AGONISMA GLORIOSUM,
 QVOD
 PERILLVSTRIS AC GENEROSISSIMVS
 HEROS,
 DN. HENRICVS,
 COMES DE TURRI, VALSASINA, AC PARNO-
 VIA, L. BARO DE CRUCE, DOMINVS IN WELLISCHA,
 WINTERIZO, GOETTINGA, LOSSDORFIO,
 WENNEGARTIA,
 S. REG. MTIS: AC REGNORVM SVETIÆ
 SENATOR, EXERCITVS, PER LIVONIAM, EQVE-
 STRIS LOCVM TENENS, ET CHILIARCHA,

